

1999-10037
OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI
QVAS
PRAESENTE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO
PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO CVRIA
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSULTORVM ASSESSORE

PRO CONSEQVENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DIE VIII. DECEMBER A. S. R. CIOIOCCCLXXVII

H. L. Q. S

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

IOANNES DAVID FELLER
LVCCAVIA - LVSATVS
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS

SPECIM. V. ET VI.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRKII
ACADEMIAS. A TYPIS

COLLECTANIA
HISTORICO-ARTISTICA
AD
MUSEUM
D. GEORGIO STERNHO
MILANO
1770
SUSCEPTE ET DEDICATE
PROLOGO
ET
INTRODUZIONE
DI
G. B. VILLANI
1770

I.

Expositio §. 5. I. de inutilib. stipulat.

 ui ad discendam iurisprudentiam accedere solent, saepius acerbas querelas de variis, quibus in ipso aditu turbantur, scrupulis, passim effundunt. Nam et dictionibus insolitis, et rebus ambiguis se impediri aiunt, quo minus citius in itinere instituto progrediantur. Licit vero hae querelae saepenumero iustae haud sint, cum partim ab ignavia, quae discendi laborem fugit, partim vero a subsidiorum, quibus artis nostrae studiosi instructi esse debent, inopia profiscantur, negandum tamen non est, in ipsis iuris Romani institutionibus inesse locos difficiles atque anticipates, quos quidem, ut discentium studia augeamus, omni cura explanare debemus. Sed, ne quid temere dixisse videamur, iam in praesenti locum, ad quem tamquam ad scopulum multi haelere anxii, accuratius contempleremus. Scilicet verba §. 5. de inutilib. stipulat. ita iacent: *praeterea inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quae interrogatus fuerit, non respondeat: veluti, si decem aureos a te dari stipuletur, tu quinque promittas, vel contra: aut si ille pure stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contra: si modo scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione, vel in diem stipulanti, tu respondeas, praesenti die spondeo. Nam si hoc solum respondeas, promitto, breuiter videris in eandem diem, vel conditionem spopondisse. Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quae stipulator expresserit. Putat igitur Tribonianus, eam stipulationem, qua quis viginti stipulanti, non eandem summam, sed minorem promiserit, prorsus esse inutilem, neque promissorem obstringi, ut decem, ad quae praestanda se adstrinxit, stipulatori interroganti praestet. Huic vero opinioni refragatur Vlpianus in l. 1. §. 4. D. de verbō obligat. qui mentem contrariam hisce verbis expressit: si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem, nisi in decem, constat. Ex contrario quoque, si me viginti interrogante, tu decem respondeas, obligatio, nisi in decem, non erit contracta. Licit enim oportet congruere summam, attamen manifestissimum est, viginti et decem inesse. Vlpianus igitur eam stipulationem, qua quis plus vel minus, quam interrogatus est, daturum esse, responderit,*

A

derit,

2

derit, tamquam prorsus vitiosam non repudiat, sed pro ea duntaxat summa, quae alterius interrogationem, vel responcionem excedit, inutilem esse, arbitratur. Id cum inteligerent interpretes, in varias distracti fuere sententias. Arnoldus Vinnius in *commentar. ad locum excitatum*, Tribonianii opinionem simpliciter improbat, hac sola ratione commotus, quia Vlpiano repugnet. Sed hoc modo ista difficultas nondum tollitur, cum plures sententiae in Digestis obuiæ, postea reiectæ atque immutatae fuerint. Antonius Matthaei in *suis animaduers. ad institut.* p. 259. agnoscit quidem repugnantiam, quae inter Tribonianii et Vlpiani sententias intercedit, eam tamen aliter remoueri haud posse existimat, quam si dicamus, loco adducto esse adiungendam exceptionem, si diuersitas responcionis illico placuerit. Sed nec haec interpretatio omnem scrupulum eximit. Vnde enim eiusmodi consensum fumus probatur? In stipulatione id solum, quod stipulator in responce minus congrua acquiecerit, cum eius vis et potestas ex verbis rite et congruenter declaratis in primis iudicetur, non sufficit, neque subsecutum interrogantis silentium efficit, vt responce minus congrua habenda sit pro legitima. Sed aliam rationem Euerard. Otto in *commentar. suo* p. 427. init, qui Tribonianum turpis negligentiae reum postulat, cumque more suo verba Vlpiani non exscripsisse integra, statuit. Hisce adiungimus Franciscum Duarenum, qui in *commentar. ad Digest. Libr. 45. Tit. I. l. I. §. 4.* Iustinianum in institutionibus tantum capita rerum attigisse, regulasque communes, exceptionibus in alium locum reiectis, proposuisse, putat. Sed nec haec ingeniosa obseruatio nobis satisfacit. Etenim semper querere erit necessarium, quo in loco regula proponatur, num ea in Digestis, an in institutionibus fuerit tradita? Itaque breuiter, quid nobis super loco adducto in mentem venerit, expediamus. Primo quidem negamus, Tribonianum hac in re Vlpiani sententiam respexisse, eumque potius magistri sui Caii, quem vbiuis fideliter sequitur, vestigia pressisse, certissime sumus perfaui. Ita vero Caius in *institut. Libr. 2. Tit. 9. §. 10.* scribit: *si creditor decem solidos debitorem interroget, et debitor quinque promittat, hoc ordine integrum debitum vacillare, cognoscitur.* Inde igitur appetat, Caium in ea opinione fuisse versatum, vt eam stipulationem, quae responce interrogatori non prorsus aptam contineret, inutilem crederet. Neque haec opinio, tamquam iuri ciuili prorsus contraria, est vituperanda. Etenim olim iura valde secura viguerunt, quae postea partim praetorum humanitate, partim vero Iureconsultorum disputationibus atque interpretationibus, magno ciuium commodo,

magis



3

magis fuere mitigata. Tribonianum vero Caio suo fideliter adhaesisse, illustri exemplo probabimus. Inter veteres disputatum est, num is, cui mandatum est, ut fundum certo pretio emeret, si eundem pluris emisset, mandatorem sibi haberet obstrictum. Multi existimarent, ei, qui fines mandati excessit, actionem mandati contrariam ita esse denegandam, ut ne id quidem pretium, quod consentiente mandatario, soluit, ab hoc repetere posset. *L. 3. D. mandat. vel contra.* Sed benigniorem sententiam amplexus fuit Caius in *l. 4. titul. excitat.* atque mandatario ius esse usque ad pretium constitutum agendi, humaniter praecepit. Hoc igitur praeceptum etiam Tribonianus in *§. 8. I. de mandat.* repetit. Ex quo satis intelligitur, Tribonianum in iis rebus, de quibus inter Iureconsultos haud satis conuenerat, Caio in primis fuisse deditum. Deinde sciendum est, Caii aerate in stipulationibus adhuc obtinuisse ius strictum, eamque regulam fuisse seruatam, ut, nisi responsio interrogatori prorsus congrueret, tota stipulatio omni effectu careret. Sed ab hoc rigore posteriores Iureconsulti, vti iam Ian. a Costa in *obseruationib. ad nostrum locum,* et Anton. Schultingius in *iurisprudent. Ante-Iustinian. p. 159.* animaduerterunt, vtiliter recesserunt. Neque vero defuerunt rationes commoda, quibus Vlpianus aliquae prudentes adducti, humaniorem sententiam comprobarunt. Ex stipulatione omne commodum transit ad stipulatorem, atque ex contrario promissor onus praestandae obligationis suscipit. Inde igitur nascitur regula, eiusmodi negotium in commodum promissoris, aduersus stipulatorem esse interpretandum. Ita Vlpianus in *l. 38. §. 18. D. de verbor. obligat.* sentit his quidem verbis: *in stipulationibus, cum quaeritur, quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt.* Cum eo facit Pomponius in *l. 99. Tit. excit.* qui pariter interpretationem ita, vti promissori expedite, faciendam esse arbitratur. Consentit Celsus in *l. 26. D. de reb. dub.* Iuuat hic adicere aliam rationem a Pomponio in *l. 109. D. de verbor. obligat.* ita expressam: *si ita stipulatus fuero, decem, aut quindecim dabis? decem debentur. Item, si ita, post annum, aut biennium, dabis? post biennium debentur.* Quia in stipulationibus id seruatur, ut, quod minus esset, quodque longius, esse videretur in obligationem deductum. Huc accedit, quod maiori summae etiam minor insit, quodque is, qui sibi viginti dari voluerit, etiam in minorem summan consenisse credatur. Certe ad eiusmodi negotium nobis referendum esse videtur illud, quod a Paulo in *l. 110. de R. I. traditur:* *in eo, quod plus sit, semper inept et minus.* Non quidem inficiamur, hanc regulam iustis limitibus esse coercendam, inque ea applicanda multas cautiones esse

4

esse adhibendas, quas a V. C. Ios. Ludouic. Ernest. Püttmanno in *aduersarij*.
Iur. Libr. I. cap. 5. sollerti cura explicatas fuisse, laetamur. Sed eam ad stipulationis materiam recte transferri, ex eo, quod ipse Vlpianus ad eam respexerit, luculenter patet. Quod si de eiusmodi negotio olim controuerteria incidisset, non erat dubium, quin in oratione ambigua id, quod negotio tuendo maxime erat commodum, esset accipendum.
L. 12. D. de reb. dub. In rebus dubiis benigniora praferimus, atque in oratione ambigua in primis sententiam eius, qui se ad aliquid praestandum obligavit, spectamus. *L. 56, et l. 96. D. de R. I.* Ex his, quae haecenus proposuimus, satis patere putamus, quid de *§. 5. I. Titul. excitati* statuendum sit. Reprehendimus Tribonianum, quod ius antiquum attulerit, recentius vero praetermisserit, atque posterius ob aequitatem priori longe esse anteponendum, censemus. Sed bene nobiscum agitur, quod in foris nostris Romanarum stipulationum subtilitates locum non obtineant. Conferatur prae alias Laurent. Andr. Hamberger. de *non usu stipulation. in foris German. in opusc. p. 153 seqq.*

II.

Insignis virtus clausulae codicillaris offenditur.

Quod officium ipsa suadet ratio, vt parentes liberis suis quoquis modo prospiciant, et quod ipsi possedere patrimonium, ad eosdem tamquam heredes naturali vinculo sibi coniunctissimos, transmittant, hoc etiam ius civile diligenter commendat. Licet enim ea potestas, quae in duodecim tabulis patrifamilias Romano fuit tributa, teste Pomponio in *l. 120. D. de V. S.* tamen late acciperetur, vt quisque suo arbitrio heredes instituere posset, postea tamen aliud receptum est serioque cautum, vt liberi potestati patriae adhuc subiecti, vel heredes instituerentur, vel nominativi et rite exheredarentur, idque commodum omnibus sine ullo sexus discrimine, contingere. *L. 11. D. de liber. et posthum. hereditib. instituend. L. 1. D. de iniust. rupt. et irrit. et L. 4. C. de liber. praeter.* Ne vero ciues Romani hanc necessitatem inquis ferrent animis, Iureconsulti nouam excogitarunt caussam, quae parentes ad obseruandum officium communis utilitati consentaneum, magis impelleret. Statuerunt scilicet, liberos in bona parentum non iure proprio et singulari succedere, sed dominium, quod, parentibus viuis, in eorum bonis iam habuere, post eorum obitum, tantum continuare, liberamque eius administrandi potestatem tunc nancisci, de qua re copiosius exposuere Cornel. van Bynkershoek

kershoeck Libr. 2. Observat. cap. 1. et Georg. Christian. Gebauerus in
 dissertat. qua successio ab intestato ciuilis fissitur, Sect. I. §. 4. Hanc iuris Ro-
 mani sanctionem vniuersa probauit Germania, ita, vt apud nos testa-
 menta, in quibus liberi a parentibus fuere praeteriti, pariter omni vi
 desistuantur. Sed hoc loco ad aliam quaestione accedimus, quae
 digna esse videtur, vt paullo studiosius excutiatur. Accidit saepius, vt
 parentes testamenta condant, in quibus ideo, quod liberos suos iam ex
 vita migrasse credunt, licet de eorum morte plene persuasi haud sint,
 extraneos heredes scribunt. Ut vero eiusmodi testamenta eo magis red-
 dantur secura, ea, adiecta clausula codicillari, firmius munire solent.
 De his acres vulgo moueri lites, saepe intelligimus. Permulti statuunt,
 eiusmodi testamentis omnem vim esse admendam. Neque haec opinio
 videtur esse spernenda, propterea quod testamentum, cui sollemnitas
 necessaria deest, vim iuris non habeat. Quis vero clausulae codicillari
 tantam vim inesse credit, vt vitiosum testamentum sustinere queat? Sed
 vsus fori talia testamenta, modo solitis codicillorum sollemnitatibus
 facta sint, ita salua sartaque conseruat, vt tamquam fideicomissa va-
 leant. Itaque heres praeteritus, qui alias ab intestato succederet, ro-
 gatus esse censetur, vt portione legitima contentus, reliqua ex heredi-
 tate heredi scripto restitutus. Iuuat hic commemorare eam speciem,
 quae mense Ianuario 1776. a Cancellaria Sorauensi Iureconsultis Vitem-
 bergenibus, vt super ea certum ferrent iudicium, fuit oblata. Quaedam
 vidua, cui vnicus fuerat filius, quem ideo, quod ante multos annos in
 terras remotas discesserat, et de cuius vita, licet in eadem exploranda
 admodum fuisse sollicita, nihil certi compererat, credebat esse mortuum,
 testamentum facit, in quo filium praeterit, extraneumque heredem scri-
 bit. Defuncta vidua, heres scriptus hereditatem ex testamento poscit,
 atque iudicem, qui eandem ob signandam curauerat, rogat, vt ea sibi
 tradatur. Index responsum in hac caussa dubia ab ordine nostro flagi-
 tabat. Nos vero in hunc modum respondimus: daß der verstorbenen
 Marien Sophien Gößlin Verlassenschaft gerichtlich zu inventiren, und mit-
 telst gerichtlichen Inuentarii, der Betrag des dem abwesenden Johann Gott-
 fried Steinen davon zustehenden Pflicht-Theils, behörig zu eruire, sodann
 aber nur gedachte Verlassenschaft George Christian Wilhelm Wenzeln, wenn
 selbiger zuförderst, so viel die vorbenannten Steinen davon gebührende Le-
 gitimam betrifft, hinlängliche und tüchtige Caution bestellet, zu verabfolgen.
 Adiecumus vero hasce dubitandi et decidendi rationes:

A 3

Obwohl

Obwohl in denen Rechten verordnet, daß derjenige, welcher eitt Testament errichtet, nothwendig seine Kinder entweder als Erben einzusezen, oder selbige nahmenlich aus einer rechtmässigen Ursache zu enterben schuldig, und ein Testament, worinnen solches nicht beobachtet worden, als ungültig und zu Recht unbeständig angefochten werden kann,

L. 30. D. de liber. et postum.

L. 3. §. 3. D. de iniust. rupt. testament.

hiernächst George Christian Wilhelm Menzel in der fol. 16. seqq. eingereichten Vorstellung, daß ihm die von der verstorbenen Marien Sophien Gdsg. Ein hinterlassene Erbschaft, ohne Einschränkung und Bedingung zu verabfolgen, aus verschiedenen Gründen, und insbesondere deswegen behauptet, weil vorerwähnte Gdsg. in ihrem am 20sten Decembris des 1774sten Jahres errichteten und fol. 9 seqq. Actor. G. in originali beygebrachten Testamente, welches sie zur gerichtlichen Verwahrung übergeben, ihn zum Universal-Erben ihres gesammten Nachlasses instituiert, die Testatrix als eine freye und vernünftige Person über ihr Vermögen auf den Todesfall zu disponiren befugt gewesen, und im nurbemeldtem Testamente, daß ihr im Jahr 1746. in die Fremde gegangener einziger Sohn Johann Gottfried Stein, auf einer Reise nach Grönland, auf einem Hamburger Schiffe als Chirurgus unverheyrathet und ohne einige Erben verstorben, ausdrücklich geäußert, auch anbey, wie sothane wegen ihres Sohnes gethanen Declaration, weiter keinen Zweifel unterworfen, die Meinung heget, und zu deren Bestärkung theils darauf, daß selbiger bereits im Jahr 1720. gehobren worden, und nicht zu vermuthen sey, daß selbiger bey seiner herumirrenden Lebens-Alt ein hohes Alter erreicht, sich beziehet, theils aber darauf, daß er schon im Jahre 1746. in die Fremde gegangen, und seit dieser Zeit nicht das mindeste von sich hören lassen, auch seine Mutter, ohngeachtet sie ihn, besage derer fol. 29 seqq. befindlichen Beylagen, in verschiedene Zeitungen sehen lassen, und sich alle ersinnliche Mühe gegeben einige Nachricht von ihm zu erlangen, dennoch hierauf außer demjenigen, was ihr der Chirurgus Johann Ehrenfried Neym, in denen fol. 59. seqq. ad Acta gegebenen Briefen gemeldet, einige Nachricht nicht erhalten können, sich berufet, auch, daß das von nur erwähntem Neymen ertheilte Zeugniß, wasmaßen selbiger wirklich verstorben und in Hamburg begraben worden, für wahr und richtig anzunehmen, dafür halten will;

Dennoch aber und dieweil aus obangezogenem Testamente erhellet, daß die verstorbeine Gdsg. ihren Sohn mehrbemeldten Steinen aus denen daselbst angegebenen Gründen wirklich für tot gehalten, und ihres zweyten Ehemannes

mannes Schwester Sohn, welcher gegenwärtig ihren Nachlaß verlanget, aus der Ursache, weil sie von ihrem zweytem Ehemanne viele Liebe und Treue genossen, auch die Erbin seines ganzen Vermögens worden, zum Universal-Erben benennt, in dem Testamente auch ausdrücklich die Clausula codicillaris enthalten, diese aber so viel bewirkt, daß das von ihr errichtete Testament, wenn auch solches gleich, ob defectum sollemnitatis internae, vereinst angefochten werden wollte, dennoch in vim fideicommissi, bey Kräften zu erhalten,

L. 76. D. ad SCt. Trebell.

Struv. in iurisprud. Roman. Libr. 2. Tit. 28. §. 4.

Stryck. de cautel. testament. Cap. 16. §. 14.

Horn Class. VII. Respons. 14.

Berger in Oeconom. iur. Libr. 2. Tit. 4. §. 36. not. 1.

auch jedes Testament dergestalt zu interpretiren, daß die vom Testatore Gedachte Absicht, so viel möglich, erreicht werde,

Mevius Part. 7. decis. 18.

Hiernächst ob bemeldten Wenzels Vorgeben, als ob der abwesende Stein nunmehr pro mortuo zu achten, in Erwägung, daß nach seinem eigenen Anführen, selbiger erstlich 56 Jahr alt, gleichwohl ein Abwesender nicht eher, als bis er das 70ste Jahr seines Alters erfüllt, verstorben zu seyn praesumiret wird, auch daraus, daß dessen Mutter von seinem Leben und Aufenthalt einige Nachricht nicht erhalten, die zuverlässige Folge, als ob er unverheirathet und ohne Descendenten zu hinterlassen, verstorben, nicht hergeleitet werden mag, und das, was der Chirurgus Reym in denen fol. 59 seqq. inducirten Briefen versichert, eben so wenig einen hinlänglichen Beweis abgeben kann,

Leyser. specim. 95. Meditat. 11 seqq.

Iwar rechtlichen Beyfall nicht verbienet, jedoch, da mehr erwähnter Wenzel von der Göttin zum Universal-Erben in ihrem Testamente eingesetzt worden, und der abwesende Stein, wenn er, oder dessen rechtmäßige Descendenten, auf dieserwegen noch einige Ansprüche machen sollten, auf alle Fälle ein mehrers, als die davon gebührende Legitima nicht fordern können,

L. 30. C. de inoffic. testament.

Nouell. 115. cap. 3.

selsigen der gesamte Nachlaß, wenn die Legitima, mittelst gerichtlichen Inventarii, in Nichtigkeit gesetzet und diesfalls hinlängliche Caution praecipiat worden, billig zu verabfolgen, so sind wir ic. Conferantur quoque Nicol. Christophor. de Lyncker decision. centur. XI. No. 1030.

III.

De debitore creditori plus, quam ab eodem accepit, promittente.

Qui necessitate coacti, pecunias ab aliis sumunt mutuas, vti plerumque in chirographis scribendis solent esse faciles, ita quoque saepius pactiones ineunt sibi aliquae molestas. Ad arbitrium creditorum vt eo magis se accommodent, citiusque speratae pecuniae commodo potiantur, liberales exhibent cautiones, tamquam luculentia animi grati documenta, quae audi creditores prompta manu arripiunt curaque religiosa custodiunt. His negotiis cum in vita communii nihil sit frequentius, non erit a nostro proposito alienum, nunc paullo propius intueri eos, qui, dum pecuniam sumunt mutuam, creditori eam subministranti plus, quam acceperunt, se reddituros, promittunt. Sed eiusmodi promissionem, siue scriptura est confirmata, siue nuda voce declarata, obligationem ciuilem haud parere, potius legum sanctionibus improbari, breuiter ostendemus. Ac primo quidem testimonium denunciamus Vlpiano, qui in *l. 11. D. s. 1. de reb. credit.* haec tradit: *si tibi dedero decem sic, ut nouem debeas, Proculus ait et recte, non amplius te ipso iure debere, quam nouem. Sed si dedero, ut undecim debeas, putat Proculus amplius, quam decem condici non posse.* Cum eo consentit Paulus, qui in *l. 17. D. de pacif. mentem suam ita expressit: si tibi decem dem et pacifar, ut viginti mihi debeat, non nascitur obligatio ultra decem. Re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.* Eandem sententiam tradit Harmenopulus in *epitom. iur. Libr. 3. Tit. 5, 67.* Licet vero haecce regulae aequitati naturali parum videatur esse amica, est tamen iuris ciuilis rationibus salutique publicae maxime congrua. Etenim mutuum rei traditione perficitur, ideoque is, qui mutuum accepit, etenus tantum, quatenus res ipsa intercessit, ad eam restituendam obligatur. *L. 52. s. 1. D. de obligat. et action.* Hac ratione compulsi Imperatores Diocletianus et Maximianus in *l. 9. C. de non numerat. pecun. rescripte,* neminem ultra id, quod accepit, obstringi. Cum quoque in eiusmodi negotio res fungibilis in eodem genere, atque, vti ex *l. 3. et l. 6. D. de reb. credit.* perspicitur, ita reddenda sit, vt creditor idem, quod dedit, recipiat, nulla eidem fit iniuria, si ultra rem alteri datam, nihil amplius confuscatus fuerit. Huc accedit, quod in contractibus stricti iuris omnia severius diuidicemus, nihilque contractae obligationi ex aequitate adiiciamus. Sed facile proficimus, varia non incommodo nobis obiici posse, cum Vlpianus in *lege supra allata eam potestatem,* quam creditori concedit;

debitori deneget, cumque illi permittat minus, quam dedit, accipere,
 huic vero arbitrium aliquid amplius reddendi adimatur. Sed hoc mirum
 non est, cum magnum discrimen inter vtrumque intercedat. Credi-
 tor ius suum remittere haud prohibetur. Poteſt esse liberalis ideoque
 in continentia de restituenda ſumma minore pacifici. Diuersa vero eſt
 debitoris conditio, qui, dum pecunia indiget, aliqua necessitate, quae
 liberalitatem excludit, durius premitur. Quodſi igitur iſi pacto adie-
 cto, ad plus restituendum ſe adſtrinxerit, illud, vt iam recte docuit
 Gerard. Noodt ad edit. praetor. de paſt. et transaff. cap. 12. obligationem
 ciuilem non parit. Id vero utilitati publicae conuenire maximopere,
 quisque facile intelligit. Interest omnium, caueri fraudes negotiaque
 improba, quibus egenis hominibus ſaepius magna damna inferuntur.
 Fac, debitorem in chirographo profiteri, ſe plus, quam ei vere nume-
 ratum eſt, accepiffe. Quis quaefo eiusmodi impiam simulationem
 aequo ferat animo? Non scriptura, ſed rei veritas in contractibus eſt
 conſideranda. L. 7. C. plus valere, quod agitur, Odiosae vero viſae ſunt
 Imperatori Iuſtiniano artes occultae fallacesque machinationes, quibus
 potiſſimum creditores confilia debitoribus ſuis periculosa, tegere stu-
 dent, quae in l. 23. C. mandat. vel contra ſerio vetat. Iraſcitur peruer-
 ſis eorum moribus, qui aliorum bonis infidias ſtruunt variisque artifi-
 ciis lucrum turpe captant. Ita enim in l. 26. C. de uſur. ſancit: interdi-
 lia licentia creditoribus ex pecuniis foenori dandis aliquid detrahere vel retinere
 ſequarum nomine, vel ſportularum, vel alterius cuiuscunque cauſae gratia.
 Nam ſi quid huiusmodi factum fuerit, principate debitum ab initio ea quantita-
 te minuetur, id tam ipſa minuenda pars, quam uſuræ eius exigi prohibeantur.
 Tantum igitur abeft, vt nos eiusmodi pactiones, quibus debitores ſe
 ad reddendam ampliorem, quam acceperunt, ſumnam obligarunt, ra-
 tas habeamus, vt eas potius tamquam illicitas improbandas eſſe arbitre-
 mur. Neque existimandum eſt, nos hic tradere iura moribus antiqua-
 ta, cum et Germania prauitates uſurarias vehementer horreat. Ut alia
 omittamus, ex iure doméstico unicum eundemque praecipuum locum
 adiiciamus. Elector Augustus in ordinat. Torgau. de anno 1583 Tit.
 vom Wucher, poſtquam foenatorum artes periculofas in vniuersum
 damnauerat, haec ſubiungit: daß auch daher allerley Ränke, vortheil-
 haftige Contracte und Parthierey erdacht würden, dadurch man den Wu-
 cher zu beſchdnien und zu verbliumen, und der darauf geſetzten Strafe zu
 entgehen vermeynet, als: daß etliche eine gewiſſe Summa Geldes, als



acht hundert Gulden hinleihen, und doch in der Verschreibung tausend Gulden, oder mehr sezen. Haec quidem sanctio cum postea anno 1609 et 1625 fuerit repetita inque mandato, quod anno 1766 aduersus dolos decoctores euulgatum est, §. 2 denuo confirmata, uti ex codic. August. Tom. I. p. 1055 seqq. 1123 seqq. et Tom. III. p. 924 cognoscitur, et hodie in foro diligenter erit obseruanda.

III.

Promissio verbis: si Gott will, declarata, est pura.

Fuit apud nos nuper quaestio mota, num is, qui aliquid se datum, promiserat, et verba: si Gott will, adiecerat, puram obligationem iniisset. Licet enim reus animum suum de re actori, tempore constituto, certo praestanda, satis perspicue significasset, postea tamen, cum ideo coram iudice conueniret, moram commissam ea, quam adduximus, formula purgare studebat, actoremque plus tempore petitisse, obificiebat. Aduersarius e contrario obligationem in iudicium deductam puram esse, affuerabat, reumque callido commento, vim promissionis datae eludere velle, credebat. Neque id temere affirmabat. Licet enim actiones nostrae diuino arbitrio maxime sint subiectae, nosque ab Apostolo Iacobo in epistol. cap. 4. v. 15 pie admoneamur, ut nostrae imbecillitatis probe memores, viribus nostris haud fidamus, nobisque persuadeamus, nos, nisi Deus nos adiuerit, nihil efficere posse, formula tamen supra commemorata veram conditionem non inuoluit. Non quidem negamus, negotia saepe in euentum futurum, qui vel a casu incerto, vel a factis humanis pendet, conferri, idque discrimen in legibus tradi. L. univ. C. de caduc. tollend. §. 7. Sed, ut hominem christianum parum decet, spem fortunamque suam casibus credere fortuitis, ita quoque is semper debet esse persuasus, omnia, quae suscipit, diuini Numinis prouidentia regi. Etsi igitur in iis, quae se praestiturum esse, spondet, diuini auxiliu mentionem haud facit, eo tamen tamquam necessario adiumento in rebus recte peragendis carere haud potest. Neque nos verba, quibus formula ista concipitur, mouere debent, vt inde aliquam conditionem eliciamus. Quodsi enim quis animum praestandae obligationis ita expresserit, ut eam euentus dubius

dubius haud moretur, licet verbis, quae moram innuere videntur, vsus fuerit, pure, non sub conditione se obligasse, censendus est. Ita Ulpianus in l. 48. D. de verbor. obligat: si decem, cum petiero dari, fuero stipulatus, admonitionem magis quandam, quo celerius reddantur, et quasi sine mora, quam conditionem habet stipulatio, et ideo, licet decessero prius, quam petiero, non videtur defecisse conditio. Eandem sententiam sequitur Scaeuola in l. 85. D. de condit. et demonstrat. In specie proposita reus tempus certum, quo se rem promissam daturum esse confirmauit, adiecerat. Itaque, eo praeterlapso, officio suo satisfacere debebat, cum dies duntaxat incertus conditionem contineat. L. 75. D. de condit. et demonstrat. et l. 30. §. 4. D. de legat. I. Huc accedit, quod ipsa utilitas publica omnia negotia ita interpretari iubeat, vt fraudibus occurratur improbaque falkendi libido coercentur. Quodsi formulam adductam crederemus certam inferre conditionem, fides in obseruandis promissis necessaria, prorsus labefactaretur, firmumque concederetur malitia perfugium. His rationibus ducti Iureconsulti Vitembergenses exceptionem a moro debito obiectam reiecere tamquam friuolam, eumque, vt obligacionem contractam praestaret, condemnarunt. Sic vero iudicatum est in causa Joham Christian Geyers aduersus Wilhelm Gottlob Wagen coram praetorio Dresdensi agitata, mense Martio 1776.

V.

Arbores frugiferae iure Saxonomico sanctae.

Grata tutela arbores amplexae fuerunt leges cum Romanae, tum Germanicae, vt eas ab omni iniuria praestarent saluas. Iam priscis XII tabulis erat caustum, vt is, qui iniuria alienas arbores cecidisset, viginti quinque asses, in singulas fueret. Vide Jacob. Gothofredi fontes quatuor iur. civil. p. 64. et Io. Nicol. Funcii leg. XII. tabular. p. 150 seqq. Neque solum grauem mulctam huius delicti reis fuisse impositam, sed etiam eos durioribus poenis fuisse affectos, ex l. 2. D. arbor. furtim casar. satis luculenter cernitur. Ibi enim Caius haec tradit: sciendum est autem, eos, qui arbores et maxime vites ceciderint, etiam tamquam latrones puniri. Varios, quibus arbores laeduntur, modos exponit Cuiaci in obseruat. Libr. 9. cap. 12. Neque minorem earum curam gessere nostri maiores, qui olim,

olim, cum adhuc a puriore religione erant alieni, easdem culta superstitione prosequi erant soliti, ut copiosius ostendere Heineccius in *element. iur. German. Libr. 2. Tit. 1. §. 3.* et *Io. Guilielm. Hoffmannus in obseruat. iur. German. Libr. 1. cap. 5.* Postea quidem turpis superstitione fuit abolita, ut ex Caroli M. *capitulat. de partib. Saxon. cap. 20.* constat, nihilo tamen seculis arboreas tutela publica aduersus iniurias grauiter fuere munimae, ita ut nihil interesset, quo in loco quis eiusmodi damnum intulisset. *Lex Salica* in *Tit. 8.* grauem poenam minitur iis, qui arbores domesticas auferre ausi fuerint, sive quis eam ex curte, hoc est, ex area aedificium, quod incolebatur, ambiente, sive extra curtem surripuerit. Eadem quoque in *Tit. 27, 24 seqq.* vtilem securitatem praestat arboribus, quae in agris hortisque reperiuntur, serioque cauet, ne quis arbori frugiferæ corticem detrahatur. Neque est dubitandum, quin subsecutis quoque temporibus præfæce legis severitas usu fuerit seruata. In *lege certe Longobard. Libr. 1. Tit. 19, 8.* luculentā inest sanctio, quae arbores, præsertim frugiferas, acriter tuerit. Quo odio prisci Saxones eos, qui vites arboresque frugiferas effoderunt, vel ceciderunt, persecuti fuerint, satis ex *iur. prouinc. Saxon.* intelligitur. Ita enim Repkouius *Libr. 1. art. 21.* scribit: *Leibzucht kann den Weibern niemand brechen, weder lebendige oder nachgebohrne Erben, noch kein Mann, auf den das Guth ersterben möcht, sie verwirkten es dann selber, als ob sie Weinstöcke ausgraben, oder fruchtbare Bäume abziehen.* Putat igitur compilator iuris Saxonici, seminam ideo, quod vites arboresque sustulerit, amittere dotalitium. Sed, licet hoc nimis videatur esse durum, eaque causa non sit idonea, cur vidua lucro legitimo et ad sustentandam vitam necessario sit priuanda, inde tamen, quid veteres de damno arboribus dato senserint, perspicue intelligitur. Ut vero Saxones arbores facerent magis tutas, aliud exegitarunt remedium huic fini affequendo valde aptum. Sanxere felicet, ut is, qui arbores frugiferas excideret, multam triginta solidorum praestaret. Ita certe in *iur. prouinc. Saxon. Libr. 2. art. 28.* his verbis cautum est: *fischet er aber in Teichen, die ge graben sind, oder hauet er Holz ab, das gesetz ist, oder tragende Bäume, oder bricht er einen sein Obst ab, oder hauet er malzbäume ab, oder grebet Steine aus, die zu Marksteinen gesetzt seyn, er muß dreysig Schilling zur Biuse geben.* Ex hoc igitur loco apparet, damnum arbori frugiferæ datum, multa triginta solidorum esse luendum. Olim hanc multam semper cessisse ei, qui damnum passus fuerat, ipsumque damnum, ea praestita, fuisse reparatum,

paratum, verbum **Buße** nos dubitare haud sinit. Etenim hoc vocabulum usurpatur de mulcta laeso praestanda, non vero de poena a iudice decernenda. Hinc in *Libr. 3. art. 53. iur. excitat.* hoc discrimen traditur: jeglicher Richter hat Gewette in seinem Gerichte und keine Buße. Dann der Richter mag beyde, Kläger und Richter nicht geseyn. Man giebt auch niemand Buß, denn dem Kläger. Conferatur Carol. Guilielm. Gaertner ad *leg. Saxon. Tit. 2. §. 7.* Haec vero prisci iuris Saxonici seueritas in *Constitut. 37. Part. 4.* fuit repetita, qua quidem ita cautum est: diejenigen, so tragende, oder fruchtbare Bäume, als Eichen, Buchen, Alepfel- und Birnbäume, Weinstdöcke, Weyden, gepröste junge Bäume, Hopfen und dergleichen abhauen, mit schelen, oder auch in andere Wege verderben, sollen den Werth solcher Bäume bezahlen, und darzu vor jedem abgehauen, oder verderbten fruchtbaren Baum, demjenigen, so er zugefanden, 30 Schilling Pfennige, thut zwey alte Schock, nach Inhalt Sachsischer Rechte verbüßen; oder da sie solchen Schaden nicht erstatten, noch die Straff erlegen möchten, sonst willkührlich mit Gefängniß und dergleichen gestrafft werden. Carpzouius putat, mulctam hac lege definitam pertinere ad magistratum, cum is, cui damnum accidit, praeter aestimationem arborum nihil petere queat. Vide eius *definit.* 1. huic legi subiectam. Sed, quis non videt, hanc interpretationem cum ipsis legis verbis non congruere? Sensus eius satis manifestus est, vt ideo eum pluribus declarare haud sit necessarium. Ceterum hic consulendi erunt Berlich. in *decis. 121.* Berger in *Elec. iurisprud. criminal. cap. 1. §. 16.* et Mencke in *Systemat. iur. civil. secundum Pandect. Libr. 47. Tit. 7. §. 3.*

SPECIMEN VI.

I.

De institutione heredis in alterius arbitrium haud conferenda.

Multa negotia ita comparata sunt, vt, licet libero consensu sint per-
ficienda, alienum tamen arbitrium, in quibusdam rebus ex natu-
rali aequitate definiendis, haud respuant. In emtione venditione con-
uentio, vt, quanti Titius rem aestimauerit, tanti sit emta, omnino rata
est, ita quidem, vt, si tertius pretium constituerit, contrahentes ab eius
arbitrio recedere non possint. *L. vlt. C. de contrah. emt. et s. i. I. de emt.*
et vendit. In locatione conductione mercedis constitutio alienae volun-
tati pariter recte subiicitur. *L. 25. D. locat. conduct.* Num vero volun-
tas ultima in alterius arbitrium conferri queat, non temere quaeritur.
Ea enim debet esse certa atque perspicua, vi, dolo omniq[ue] fraude va-
cua. *L. vlt. D. si quis aliquem testari prohibuerit.* Et, quem in fine tot
follemnitates supremum iudicium declaratur obseruandae, sunt reper-
tae, nisi in eum, vt eiusmodi iudicium reddatur satis tutum? Nihilo
tamen minus Vlpianus in *l. 43. s. 2. D. de legat.* *I.* non simpliciter ne-
gat, legatum ab aliena voluntate pendere posse, his quidem verbis: *Le-
gatum in aliena voluntate ponit potest, in heredis non potest.* E contrario Mode-
destinus in *l. 52. D. de condit. et demonstrat.* legatum in alienam voluntatem
conferri non posse, tradit. Sed inter Vlpianum et Modestinum
vera dissensio non est. Recte enim iam obseruauit Cuiacius in *commen-
tar. ad legem Vlpiani adductam.* Modestinum ita esse interpretandum, vt
legatum in merum alterius arbitrium conferri non queat, licet eius
praefatio a facto, quod alter suscepturnus est, ita pendeat, vt illud ve-
ram conditionem inuoluat. Eadem vero sententiam fecutus esse vi-
detur Vlpianus, ex cuius mente tunc legatum in aliena voluntate ponit
potest, si illud sub adscripta conditione fuerit relicturnum. Affirmamus igit-
ter, legata aliorum mero arbitrio non esse submittenda, licet conceda-
mus, saepius ea tunc deum vires habere, si alter certum factum, a
eius eventu legatum pendet, praestiterit. Sed nondum omnia sunt
satis

satis aperta. Cum enim Vlpianus in *loco excitato* legatum in heredis voluntatem conferri posse neget, alibi vero, vti in *L. II. §. 7. D. de legat.* *III.* diuersam prorsus sententiam amplecti videatur, operam dabimus, vt hunc quoque scrupulum dissoluamus. Lex, cuius modo mentionem iniecumus, ita se habet: *quamquam autem fideicommissum ita reliatum non debeatur, si voluerit, tamen si ita adscriptum fuerit, si fueris arbitratus, si putaueris, si aestimaueris, si utile tibi fuerit vijsum, vel videbitur, debebitur.* Non enim plenum arbitrium voluntatis heredi dedit, sed quasi viro bono fideicommissum reliatum. In *L. 75. §. 1. D. de legat.* *I.* vero de hac re sic statuit: *si sic legatum vel fideicommissum sit reliatum, si aestimauerit heres, si comprobauerit, si iustum putauerit, et legatum, et fideicommissum debebitur, quoniam quasi viro potius bono ei commissum est, non in meram voluntatem heredis collatum.* Ex quibus satis est perspicuum, legatum ac fideicommissum interdum heredis voluntati omnino permitti, illudque tunc relinqui vtiliter. Sed ideo Vlpianus sibi non repugnat. Non enim est dubitandum, quin eiusmodi legata in voluntatem heredis tamquam in vi-*ri boni arbitrium, recte conferantur.* Quodsi factum fuerit, heres munus viri boni ita, vti testator optauit, praestare, eiusque desiderio, vti ipsa aequitas iubet, satisfacere debet. *L. I. D. de legat.* *II.* Scilicet officia boni viri late patent cumque eximiis virtutibus sunt coniuncta. Pulcre imaginem viri boni exprimit Cicero de offic. *Libr. 3. cap. 19.* vbi eum ait prodesse, quibus possit, nocere nemini, nisi fuerit iniuria la-cessitus. Summo studio id aget, vt spem testatoris expleat, turpemque suspicionem impietatis evitet. Ita putamus omnia, quae veteres de legato in voluntatem heredis collato praecoperunt, esse interpretanda. Conferatur quoque Cuiacius in obseruat. *Libr. 2. cap. 2.* et Illusfr. Frideric. Esaias a Pufendorf in obseruat. *iur. uniuers.* Tom. *III.* obseruat. *9.* lam ad quaestionem accedimus, num quoque heredis institutio in alterius arbitrio conferri queat? Quam iure meritoque negan-*dam esse, arbitramur.* Vtimur vero potissimum auctoritate Caii, qui in *L. 32. D. de heredib. instituend.* hancce sententiam tradit: *illa in-stitutio, quos Titius voluerit, idea vitiosa est, quod alieno arbitrio per-missa est.* Nam satis constanter veteres decreuerunt, testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. Quod quidem praecceptum vti moribus antiquis, ita quoque communis vti-litati maxime conuenit. Erat antiquitus receptum, vt ciues Romani testamenta publice atque sollemniter conderent, heredesque palam signifi-*caren-*

ficarentur. De antiqua testandi forma hic copiosius dicere nihil attinet, cum iam multi iidemque doctissimi viri in ea erudite explicanda feliciter elaborauerint. Ablegamus potius huius rei studiosos ad Gellium *Libr. 15. cap. 27.* eiusque interpretem eruditissimum Io. Ludov. Conradi in *excurſ. ad eundem p. 527.* item ad Theophilum in *paraphras. institut. Libr. 2. Tit. 10.* Id tamen silentio omittere haud debemus, Romanis visum fuisse necessarium, vt testator voluntatem suam luculenta ratione exprimeret verbisque vteretur imperatiuis et ciuilibus, non vero precatiuis minusque receptis. Quam in rem testem satis locupletem producimus Vlpianum, qui in *fragment. Tit. 21.* tradit: *heres institui recte potest his verbis, Titius heres esto, Titius heres sit, Titium heredem esse iubeo.* Illa autem *institutio, heredem instituo, heredem facio, plerisque improbata est.* Haec vero verba satis esse certa arbitrioque alieno non obnoxia, quisque intelligit. Non quidem ignoramus, postea prudenter fuisse introductum, vt in heredibus instituendis prisca verborum sollemnitas haud amplius esset necessaria. Sanxit omnino Imperator Constantinus in *I. 15. C. de testament.* vt tabulae testamentorum, quibusunque verbis, siue imperatiuis et directis, siue inflexis verbis, conceptae, essent ratae. Sed inde non est inferendum, heredis institutionem alieno arbitrio permitti potuisse. Cum enim Justinianus in *I. 29. C. Titul. excitat.* expressis verbis cauerit, vt a testatore nomen heredis esset scribendum vel nuncupandum, facile est ad intelligendum, eum iuris antiqui regulam confirmasse. Nec hodie aliud erit statuendum. Etenim Maximilianus I. in *ordination. notar. de anno 1512.* Romanas sollemnitates denuo repetiit. Interest profecto omnium, supra hominum iudicia esse firma, eaque fraudibus, cauillationibus incertisque arbitriis non exponi. Itaque Iureconfulti lenenses, teste Lyncero in *decisionib. centur. 4. No. 314.* testamentum a marito nomine vxoris factum, cuius quidem arbitrio illud vxor prorsus permiserat, tamquam irritum anno 1697 reiecerunt. Adde Stryck. *de cautel. testamentor. cap. 3. §. 7.*

II.

De instrumentis dotalibus ad probandum matrimonium haud necessariis.

Inter grauissima vitae humanae negotia praecipuum locum tenet matrimonium, quod origine diuinum, vsu vero omnibus gentibus commune est. Quod vt efficiatur certius, variorum populorum moribus,

bus, sollemniter est ineundum. Nolumus iam varios ritus, quibus priscae gentes matrimonia inire fuerunt solitae, commemorare, vel ea, quae de institutis Romanis ab antiquitatum scriptoribus diligenter fuere exposita, anxiō studio repetere. Potius breuitatis, qua circumscripti sumus, memores, eam quæstionem, num instrumenta dotalia, iure quidem Romano, ad probationem matrimonii sint necessaria, strictem attingemus. Quod quidem argumentum nobis in primis subministravit Iustinianus in *J. 13. I. de nupt.* vbi quidem duplē modū tradit, quo liberi extra iustum matrimonium nati, iura liberorum legitimorum nanciscuntur. Primo meminit eorum, qui curiae dati sunt, de quibus copiosa exstat sanctio in *I. 3. C. de natural. liber.* Deinde ad legitimationem per subsecutum matrimonium progreditur, de qua ita constituit: *nec non is, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione, dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur.* Iustiniano vero instrumenta dotalia vīsa fuisse vīlia tunc, si quis probare vellet, se mores animumque mutasse, atque affectionem, qua huc usque concubinam amplexus fuerat, in amorem maritalem conuertisse, alibi aperte ostendit. Dilucidius vero suum consilium in *I. 10. et I. 11. C. de natural. liber.* idem Imperator exposuit, cum quibus coniungi debet *Nouell. 12. cap. 4. et Nou. 19.* ex quibus omnibus liquido appareat, Iustinianum tabulis dotalibus magnam utilitatem tribuisse. Sed hoc non ita est accipendum, ac si nosfer Imperator sibi persuaserit, eiusmodi tabulas ad probandum connubium legitimū simpliciter esse necessarias. Etenim recte Vlpianus in *I. 30. D. de R. I.* statuit, solum consensum facere nuptias. Non quidem negamus, olim discrimen inter vxorem iustum atque concubinam, maxime ex dote data acceptaque fuisse dijudicatum. Hinc Lesbonicus apud Plautum in *Trinumino Att. 3. 2. v. 64 seqq.*

*Ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi,
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.*

Tabellas quoque dotis sollemniter fuisse consignatas, ex multis veterum scriptorum testimonii constat, ex quibus hic nominasse sufficiat Suetonium in vita *Claudii cap. 26. et cap. 29.* Nec minus certum est, nuptias furtivas ab iis, quae publica testificatione fiunt manifestae, diligenter discerni. Ita enim *I. 7. C. de repud.* tradit: *vxor, quae in militiam*



tiam profecto marito, post interuentum annorum quatuor, nullum fospitatis eius potuit habere indicium, atque ideo de nuptiis alii cogitauit, nec tamen ante nuptias, quam libello ducem super hoc suo voto conuenit, non videtur nuptias iniisse furtivas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali poenaee esse obnoxia, quae post tam magni temporis iugitatem non temere, nec clanculo, sed publice contestatione deposita, nupissime firmatur. Sed haec omnia nos non mouent, vt a nostra sententia discedamus. Etenim nuptiae et sine dote consistunt. L. 22. C. de nupt. Olim certe, cum Roma adhuc moribus staret incorruptis, magis virtutes seminarum, quam earum diutiae appetebantur. Hinc Magedorus apud Plautum in *Aulular.* Act. 2. 2. v. 62.:

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

Saepe quoque apud Romanos tabulas dotis dicis caussa fuisse signatas ab iis, qui, vt maritorum praemia consequerentur, nuptias simularunt, iam obseruauit Heineccius in *commentar. ad leg. Pap. Popp. p. 199.* Non erit incommodum hic afferre auctoritatem Quinctiliani, Romanorum morum peritissimi, qui *Libr. 5. cap. 11. institut. orator.* ita scribit: *nihil obstat, quo minus iustum matrimonium sit mente coeuntium, etiam si tabulae ob-signatae haud fuerint. Nihil enim proderit signasse tabulas, si mentem matrimonii non fuisse, constabit.* Quae sententia vti est naturae matrimonii salutique publicae omnino consentanea, ita quoque ipsis legibus Romanis facile confirmari poterit. Etenim Imperatores Diocletianus et Maximianus in *l. 13. C. de nupt.* idem iudicium tulerunt his quidem verbis: *neque sine nuptiis instrumenta facta ad probationem matrimonii sunt idonea, diuersum veritate continente, neque non interpositis instrumentis, iure contractum matrimonium est irritum: cum, omissa quoque scriptura, cetera nuptiarum indicia non sunt irrita.* Quae cum ita sint, quid de Iustiniano instrumenta dotalia exigente nobis videatur, intellectu est facile. Restringimus eius sanctionem ad eam duntaxat speciem, quando quis feminam, cum qua in concubinatu vixerat et ex qua liberos suscepserat, iam in consortium legitimi matrimonii sibi asciscere vellet, eo quidem consilio, vt liberi naturales iura legitimorum liberorum nancicerentur. Tunc enim necesse erat, vt instrumenta dotalia, non tam ad probationem matrimonii, quam potius ad effectum legitimacionis recte peragendae, interponerentur. Consulendum hic erit laudatus Noodtius ad *Libr. 1. Tit. 6. D. et Ge-* bauerus ad *institut. in excurs. 4. §. 4.*

III. De

III.

De herede gesta defuncti rescindente.

Quod vulgo traditur, heredem facta eius, cui succedit, nullo prorsus modo impugnare posse, id quidem plerumque, sed non semper verum est. Vti enim heres interdum factis antecessoris haud obligatur, ita quoque eadem, ex causa satis iusta, rescindere haud prohibetur. Sed, ne temerarias opiniones consecutari videamur, hanc rem diligenter considerare erit necessarium. Ac primo quidem ipsi in ea sumus opinione, heredem in vniuersum ius, quod defunctus tempore mortis habuit, succedere, hancque regulam tam late patere, ut ad iura realia et personalia pertineat. *L. 62. D. de R. I.* Certe Pomponius in *l. 37. D. de acquirend. vel omitt. hereditat.* hunc sensum clare satis exprimit, his quidem verbis: *heres in omne ius mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit: cum et ea, quae in nominibus sint, ad heredem transeat.* Vlpianus vero in *l. 52. s. 1. D. de paet.* ait, heredem pacto, quod defunctus iniit, fidem praestare debere. Deinde lubenter concedimus, vniuerso iure esse cautum, ne quis pro parte iudicium defuncti agnoscat, pro parte vero repudiet. *L. 8. s. 10. D. de inoff. testamen.* Caius in *l. 7. D. de bon. libertor.* credit esse absurdum, iudicium defuncti partim comprobare, partim vero euertere. Quin Pomponius in *l. 38. D. de legat.* *I.* statuit, legatario haud permitti legatum pro parte acquirere, pro parte vero spernere. Adde *s. 4. et 5. I. de inoff. testam.* Sed nihil secius regula supra propofita varias admittit exceptiones. Vti enim iura mere personalia, verbi causa, dignitas, imperium, tutela, ususfructus et alia commoda, ad heredes non transmittuntur, sic quoque iidem factis defuncti non in vniuersum ita obstringuntur, ut omnia, quae fecit, praestare cogantur. Perispice Paulus in *l. 20. D. de poen.* scribit: *si poena alicui irrogatur, receptum est iure commenticio, ne in heredes transeat, cuius rei illa ratio videtur, quod poena constituitur in emendationem hominum, quae mortuo eo, in quem constitui videtur, definit.* Licit vero ratio a Paulo allata non satis nobis videatur esse idonea, propterea quod finis poenarum primarius non tam emendandis hominibus, quam potius tuendae securitati publicae inserviat, inde tamen satis intelligitur, poenas in heredes non transfire. Quod iam ipsa suadet ratio, cui insontes punire omnino erit contrarium. Delicia suos tenent auctores, neque, ut Callistratus in *l. 26. D. Titul.*



Titul. excit. eleganter loquitur, in crimen alienum succeditur. Conferatur in primis ad hanc legem Edmund. Merillii *interpretatio* in Ottonis *thesaur.* Tom. III. p. 622, Quod si defunctus in societate, deposito, similibusque negotiis dolum admiserit ita, vt si adhuc viueret, periculum bonae existimationis faceret, actio famosa aduersus heredes eius, dolii haud participes, nullo prorsus modo conceditur. L. 6. §. 6. D. de his, qui notant. infam. In genere vero dicendum est, heredes ex factis defuncti illicitis non obligari. Quoties igitur is aliquid suscepit, quod legibus prorsus repugnat, toties inde obligatio ad eiusdem heredes non descendit. Puleram speciem hic suppeditat. l. 7. C. de agricol. et censit. Nec voluntas testatoris legibus bonisque moribus contraria, erit seruanda. Ita heres sub conditione minus honesta institutus, eam implere nec debet, nec potest, sed hereditatem tamquam pure relictam capit. L. 9. et 27. D. de condit. institut. Obligatio soluendi aes alienum a defuncto contractum, ad omnes heredes pertinet. Licet igitur quis promiserit, suum heredem debitum totum esse soluturum, haec tamen promissio heredem non adstringet, vt in maius, quam pro rata hereditaria, obligetur. Ita enim Julianus in l. 56. D. de verbor. obligat. §. 1. tradit: te et Titium heredem tuum decem daturum spondes? Titii persona superiuacua comprehensa est. Siue enim solus heres exsisterit, in solidum tenebitur, siue pro parte, eodem modo, quo ceteri coheredes eius, obligabitur, et quamvis conuenisse videatur, ne ab alio herede, quam a Titio peteretur, tamen iniustile pactum conuentum coheredibus eius erit. Scilicet ea pacta, quae aduersus leges, plebiscita, senatus consulta atque edicta principum sunt inita, praetor non seruanda esse, existimauit. L. 7. §. 7. D. de pati. Nemo pacisci potest, ne dolus praefetur, ne furti vel iniuriarum agatur, ne quis interdicto vnde vi, experiatur. L. 27. §. 3. seq. D. Titul. excit. Quodsi quis eiusmodi pactiones inierit, eius heredes inde non obligantur. His aliud exemplum subiungimus. Fac, testatorem in testamento suo prohibuisse, quomodo cautio ab eo, cui usumfructum bonorum suorum reliquit, exigatur. Si aequitatem respicis, eiusmodi constitutio, vti copiosius monstrauit Illustr. Carol. Ferdinand. Hommelius in *diffr.* de iniquitat. leg. Romanar. remission. caut. usumfructuar. testatori denegant. §. 25. a fana ratione non abhorret. Sed aliud in l. 1. C. de usumfruct. et l. 7. C. vt in possess. legator. cautum est. Igitur eiusmodi prohibitionem heredi non obesse, statuamus necesse est. Quin ex eo, quod heres in ius defuncti succedat, aliam regulam, stabiliendae nostrae regulae commodam, deducimus. Quicquid

quid enim testator, si is adhuc viueret, rescindere posset, illud quoque eiusdem heres impugnare non impeditur. Fac igitur, testatorem emtionem, vnde ultra dimidium laesus est, contraxisse, vti ipse eam ex l. 2. C. de rescindend. vendit. infirmare posset, ita similem potestatem eius heredi non sumus denegatur. Ita quoque statuit V. C. Iust. Christ. Ludov. de Schellwitz in comment. *vtrum heredi remed. l. 2. C. de rescind.* vendit. detur. Saepius vero heres vtitur iure singulari legumque beneficiis ita iuuatur, vt defuncti factis flare haud teneatur. Hinc Iureconsulti Ienenses, cum filia, quae patri heres exstiterat, praedium maternum, quod is distraxerat, post eius obitum repetere vellet, hanc eidem facultatem concesserunt. Vide Lyncker. *decis. centur. 2. No. 116.* Addimus Carpzoum Part. 2. constitut. 48. def. 3.

III.

De locatione conductione ob metum singularem rescissa.

Conduxerat quis domicilium ad tempus certum, mercede constituta, idque cum familia sua inhabitare cooperat. Dum aliquamdiu in eo commoratur, casu flebili accidit, vt quaedam femina, quae in iisdem aedibus versabatur atque eadem contignatione nostro conductori coniungebatur, cultro per pectus transfixo, se ipsa interimeret, horrendumque facinus in loco, per quem conductori eiusque liberis quotidie erant transeundum, perpetraret. Ibi cum examinata, cruore repleta iaceret, tantum horrorem conductori atque iis, qui eiusdem familia continebantur, incussit, vt postea liberi conductoris per istum locum non, nisi pauidi totoque corpore contremiscentes, iter facerent. Conductor igitur, vt hoc incommodum effugeret, licet tempus conductionis nondum esset elapsum, supellecitem colligit, atque, inuito locator, ex domicilio conducto emigrat. Locator actione locati eum pulsat integrumque mercedem postulat. Reus, se iusto metu compulsum discessisse, ideoque, vt ultra ratam temporis quid amplius praefret, cogi non posse, obiciebat. Sibi enim suisque cadauer cruentum semper ante oculos versari sibique magnopere cauendum esse, ne liberis suis inde morbus periculosus contraheretur, aiebat. Quae species cum Iureconsultis Vitembergenisibus decidenda traderetur, ita fuit decisam
menfe

22

mense quidem Maio 1775, ut damnum hoc modo datum inter locatorem et conductorem diuideretur. Exeunte anno conductor discesserat, cui adhuc per dimidiā partem subsequentis anni in conducto domicilio, secundum legem contractus, fuissest commorandum. Condemnabatur reus, ut pensionem trimestrem adhuc praeflaret, ceterum actio, quatenus ad consequendam reliqui temporis mercedem erat directa, reiiciebatur. Fuit haec causa omnino anceps atque dubia. Videbatur conductor esse obligatus, ut totam mercedem solueret, cum ante tempus definitum, domum conductam deseruisset. Neque erat, cur locator ex tristi casu, qui ei imputari haud poterat, aliquid danni perciperet. Metus quoque, quem conductor obiiciebat, non satis iustus videri poterat. Expressis vero verbis Celsius in *l. 184 de R. I.* declarat, vani timoris iusta excusationem non esse. Dudum quoque Christian. Thomasius in *dissertatione singulari*, Halae 1711 habita, monstrauit, contractum conductionis ob metum spectrorum non posse rescindi. Et quis quaeso, hodie amplius tam timido est animo, ut spectra metuenda esse, credat? Interest quoque reipublicae, contractus bona fide initos fideliter seruari vanasque exceptiones non attendi. Sed non defuere rationes iustae, cur item, cuius supra memini, ita decidemus, ut damnum inter locatorem et conductorem diuideremus. Scilicet Paulus in *l. 55. §. 2. D. locat. conduct.* haec praecepit: *qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine iusta ac probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones, ex conducto conueniri potest, quatenus locatori in id, quod eius interest, indemnitas seruetur.* Statuit igitur, ei conductori, qui sine iusta causa ex conducto praedio discessit, non esse subueniendum, non vero quemuis conductorem, qui fundum deseruit, eadem necessitate adstringit. Quod si quis iusto metu adactus, ex conducto domicilio aufugerit, licet periculum, quod timet, vere haud adsit, ei erit ignoscendum. Sic enim Alsenus in *l. 27. §. 1. D. Titul. excit.* pronunciat: *iterum interrogatur est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem, nec ne?* Respondit, *si causa fuit, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem, sed si iusta timoris causa non fuisset, nihil minus debere.* Thomasius fundamentum suae sententiae in eo posuit, quod metus spectrorum non sit iustus, sed vanus. Sed haec ratio ad nostram speciem accommodari haud potest. Quis enim neget, liberos tenerae potissimum aetatis admodum esse meticulosos indeque saepe iisdem graues nasci morbos? Taliis vero metus, qui parentes

parentes liberorum caussa inuidit, est omnino iustus, id quod Paulus in l. 8. §. 3. D. quod metus causs. aperte profitetur, his quidem verbis: haec, quae diximus ad editum pertinere, nihil interest, in se quis veritus sit, an in liberis suis, cum pro affectu parentes magis in liberis terreantur.

V.

De marito a curatore vxoris minoris bona dotalia atque paraphernalia recte petente.

Quae incommoda ex commixtione iuris peregrini ac domestici orta sint, nunc illustri exemplo declarare volumus. Acriter vulgo in foris Saxonis disceptari solet, sitne curator feminae minoris obstitutus, vt eius bona marito, cui nupsit, tradat? Quae quaestio vt exactius diiudicetur, necesse erit mores Germanicos paulo altius repetere, eosdemque cum institutis Romanorum diligentius comparare. Primo quidem ex Tacito *de morib. German.* cap. 20. certissime constat, apud maiores nostros matrimonia sero fuisse contracta, virginesque non cursu praepropero ad maritos festinasse. Puellarum vero pubertas olim ex matrimonio inito iudicata fuisse videtur. Ita enim Caesarem *de bell. Gallic.* Libr. 6. cap. 21. interpretandum esse, putamus. Sed aliud Romae obtinuit, vbi saepius puellae impuberes, praecedentibus sponsalibus, in domum maritorum fuerunt deductae. L. 9. D. *de sponsalib.* et l. 32. §. 27. D. *de donat. inter vir. et vxor.* Deinde Germanorum moribus vxores tutelae maritorum subiiciebantur, vt ad arbitrium eorum, a quibus alerentur ac defenderentur, tanto magis sese accommodarent. Hinc in additam. I. ad leg. Burgund. Tit. 13. legimus: *quaecunque mulier Burgundia, vel Romana, voluntate sua ad maritum ambulauerit, iubemus, vt maritus ipse facultate ipsius mulieris, sicut in eam habet potestatem, ita et de rebus suis habeat.* Haec vero tutela non solum potestatem in vxoris personam, verum etiam facultatem eiusdem bona administrandi complectebatur, vti ex leg. *Wifgoth.* Libr. 4. Tit. 2, 15. clare satis cernitur. Dum enim puella e domo parentum egrediebatur inque mariti familiam transibat, potestate parentum liberabatur, solique marito tamquam tutori legitimamente suberat. Conferatur Gaertner. *ad leg. Saxon.* Tit. 7. qui etiam in singulari *dissertat.* Lipsiae anno 1732 edita ostendit, iure Germanico

D

inter



inter impuberces et minores, tutores ac curatores non distingui. Hoc vero ius olim in primis probatum fuisse Saxonibus, clarissime cognoscitur ex iur. prouinc. Saxon. Libr. 1. art. 31. vbi haec traduntur: wann ein Mann ein Weib nimpt, so nimpt er sie in sein gewehr und alles ihr guth zu rechter vormundschafft. Adde Libr. 3. art. 45. Sed haec omnia apud Romanos aliter se habent, quorum legibus diligenter est cautum, ne sponsus sponsae, vel maritus vxori curator detur. L. 1. §. 5. D. de excusat. L. 2. C. qui dare tutor. vel curator. Neque nuptiae inter modos finiendi tutelam, vel curationem, vlo in loco referuntur. Id cum Doctores recentioris aetatis intelligerent, in diuersas incidere opiniones, variaque excogitarunt remedia, quibus hodie vel vxorum, vel maritum commodis consulerent. Sunt, qui existiment, feminam minorem per nuptias curationi alienae eximi. Neque haec opinio a priscis moribus abhorret, vt iam ad monuimus. Quin in vniuersa Germania receptum, vt filia, quac connubium contrahit, parentum potestate soluatur, id quod copiosius comprobauit Christian. Ulric. Gruppenius in disceptat. forensib. p. 106 seqq. Addimus hic Georg. Beyerum in delineat. iur. German. Libr. 1. cap. 26. §. 67. et V. C. Christian. Gottlieb. Riccium in spicileg. iur. German. p. 475 seqq. Neque negari potest, etiam moris antiqui expressa vestigia reperiri in nonnullis legibus recentioribus. Sic in iur. prouinc. Buttadiengico, quod Pufendorfius obseruat. Tom. IV. in appendie, exhibet p. 608. scriptum est: die Vormundschafft, samt der Curatel, soll nicht erloschen seyn, es müssen dann die Kinder 21 Jahr vollenkommlich erreicher, oder vor Erreichung solcher Jahre, auf Gutbesinden unsers Praetoris pupillaris und der Vornunder Bewilligung sich verheyrafter haben. In iur. Hadelen. quod idem Auctor Tom. I. obseruat. adiecit, Part. 3. Tit. 1. haec leguntur: Vormunder sollen gegeben werden unmündigen Kindern, Jungfrauen und Frauen, die nicht begeben noch geheligt seyn, et paucis verbis interiectis: unmündige unter den Knaben seyn, welche noch nicht achtzehn Jahr alt. Mägdelein aber werden, als lange dieselben zum Ehren nicht ausgesteuert seyn, für minnerjehrige geachtet. Alii e contrario statuunt, moribus nostris curam aetatis ideo, quod minor femina mariti tutelae fiat obnoxia, non perimi. Id igitur potissimum agunt, vt vtramque amico vinculo coniungant. Ne igitur tutelam maritalem, quam sciunt in legibus recentioribus, veluti in constitut. 15. P. 2. et in decis. 24. de anno 1661 fuisse confirmatam, nimis imminuere videantur, marito quidem ius vtendi ac fruendi bonis ad vxorem pertinentibus

bus concedunt, attamen curatori, quo minor mulier adhuc est instructa, potestatem eiusdem bona administrandi, haud esse admendam, putant. Consulatur Berger. in *econom. iur. Libr. 1. Tit. 4. §. 7. not. 5.* et in *Elect. disceptat. forenſ. p. 289.* Sed nec haec sententia fatis notioni tutelae, si eius vim ex priscis moribus aestimamus, congruere videtur. Eam enim olim semper cum facultate vsumfructum percipiendi, et per consequens etiam cum potestate bona administrandi fuisse coniunctam, lex *Wifigoth. Libr. 4. Tit. 3. §. 3.* et *ius prouinc. Saxon. Libr. 1. art. 23.* aperte ostendunt. Adeatur in primis Io. Petr. de Ludewig in *dissert. de different. iur. Rom. et German. in fructuum attribut.* in primis tutel. *fructuar. p. 3 seqq.* Huc accedit, quod olim, discriminé, quod ius Romanum inter bona vxoria introduxit, nondum recepto, vxor, quae se suaque omnia tutelae maritali bona fiducia permiserat, extraneo curatore haud eguerit. Non possumus non hic probare iudicium Beyeri, qui in *delineat. iur. German. Libr. 3. cap. 10. §. 14.* sapienter pronunciat: *quod potestas erat apud Romanos, id Germanis constanter appellatur Vormundschaft, quae penes patres, maritos et tutores plane eadem fuisse, et in iure vusufructus atque obligatione alterum aleendi constitisse videtur.* Sed, cum ius Romanum mores antiquos partim sustulerit, partim vero vehementer mutauerit, non est mirum, quod tutela maritorum prifica tantopere fuerit perturbata. Commendamus hic harum rerum cupidis ea, quae Heiniccius in *dissertat. de marito, tutor. ac curator. vxor. legitim.* et Otto in *dissertat. de perpetua seminar. tutel.* cap. 2. tradiderunt, iamque ad institutum nostrum sine mora reuertimur. Cum enim nuper accidisset, ut quidam maritus, qui sibi vxorem adhuc minorem associauerat, ab eiusdem curatore peteret, ut is bona vxoris huc usque administrata, sibi tamquam curatori legitimo redderet, inter vtrumque vero de hac re lis exorta fuisset, Scabini Vitembergenses sententiam rogati, sic responderunt:

Daraus so viel zu befinden, dieweil vermdge Sachsischen Rechts, einem Chemanne als rechtlichen Vormund seines Cheweibes, die Verwaltung deren Vermögens gebührer, diesfalls aber in sothanen Rechten in Ansehung derer annoch minderjährigen Cheweiber keine Ausnahme gemacht wird, vid. Sachß. Landrecht Libr. 1. art. 31. und daher, daß in Sachsischen Landen die cura aetatis durch die Berehlichung einer noch unmündigen Weibsperson, in Ansehung ihres dem Chemanne ein- und zuzubringenden, sowohl Dotal- als Paraphernal- Vermögens aufhöre, von bewährten

+ + + + +

sten Rechts - Lehrern gegründet behauptet, auch durch Anführung dier
ferhalb ergangener Iudicatorum bestätigt wird,

Horn. in Class. IV. Respons. XV.

Berger in Philocal. fori, Respons. XVIII.

Leyser, Medit. ad Pand. Specim. 350. med. 5 seqq.

so ist Beklagter, des beschobenen Einwendens ungeachtet, immassen denen
Rechten nach, ordentlicher Weise, ein Ehemann als Usufructuarius legitimus bonorum vxoris, Caution zu bestellen nicht verbunden, übrigens,
dass ein Curator aetatis, wenn er das von seiner Pflegbefohliuen ihrem Ehe-
mann ein- und zuzubringende Vermögen dem letztern gegen dessen und seines
Ehereibes, wie auch eines ihr hierzu gerichtlich bestätigten Vormunds Quitt-
ung gebührend ausantwortet, für selbiges, und dessen nunmehr vom Ehe-
mann übernommene fernere Administration weiter nichts zu haften habe,
von selbst sich versteht, Klägern die Verwaltung des sämtlichen Vermögens
seiner Ehe-Consortin, so ferne davon nicht etwa durch Ehe-Pacta gewisse
Receptitia vorbehalten und ausgedungen worden, abzutreten, und bemij-
hen die Erhebung derer Reuhungen von allen ihren Ein- und Zubringen zu
überlassen, ihm auch das von ihr zu inferirende Mobiliar-Vermögen sowohl
als die deren Activa betreffende und übrige fol. 3^b. bemeldete Documente
vermittels richtigen Inuentarii, oder eydlichen Specification, auszuantwo-
rten schuldig.

Sic mores patrios, salua tamen, quantum fieri potuit, iuris per-
grini auctoritate, conseruare voluimus.






(f) 56.



Farbkarte #13



OBSERVATIONES
IURIS ROMANI ET SAXONICI
QVAS
PRAESIDE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO
PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO CVRIA
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSULTORVM ASSESSORE
PRO CONSEQVENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
DIE VIII. DECEMBER A. S. R. CICIO CCLXXVII
H. L. Q. S
AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST
IOANNES DAVID FELLER
LVCCAVIA - LVSATVS
IURIS VTRIVSQUE CANDIDATVS

SPECIM. V. ET VI.

VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRKII
ACADEMIAE A TYPIS